



## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

Quòd multi sunt fructus poenitentiæ. xxx.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**

recomponunt, ut aliter vulnera, aliter morbum, aliter tumores, aliter putredines, aliter caligines, aliter confractio-  
nes, aliter combustiones curent. Ita & spiritales medici,  
diuersis curationum generibus animarum vulnera sanare  
debent: sed quia haec paucorum est, ad purum scilicet cun-  
cta cognoscere, & curare, & mederi, atque ut in integrum  
salutis statum valeant reuocare, ideo solerter admonemus  
doctum quemque sacerdotem Christi, ut non ex suo sensu,  
sed secundum canonum statuta, & traditiones patrum yni-  
versa disponat, & conditionem vtriusque sexus, etatem,  
paupertatem, causam statum, personam cuiusque, pœni-  
tentiam agere volentis, ipsum quoque cor pœnitentis in-  
spiciat: & secundum haec, ut sibi visum fuerit, ut sapiens  
medicus, singula quæque dijudicet.

*Quod multi sunt fructus pœnitentiae. Cap. XXX.*

**M**ulti sunt pœnitentiae fructus, per quos ad expiatio- *Ex dictis eiusdem.*  
nem criminum peruenitur. Non enim tantum simi-  
pli: illo pœnitentiae nomine, salus æterna repromittitur,  
ut illud apostolicum: Pœnitenti, inquit, & conuertimi-  
ni, ut deleantur peccata vestra. Et illud propheticum: Cùm  
conuersus ingemueris, tunc saluus eris, propter illum nu-  
dum gemiuim, & propter illud nudum nomen pœnitentiae,  
nullus saluabitur, sed per veram confessionem, & sacerdo-  
tis intelligentis cōsilium, & per charitatis affectum, & per  
clemosynarum fructum, peccatorum moles subruitur.

*Cur canones præfigant non perfecte pro uno quoque  
crimine tempus et mensuram pœnitentiae.*

*Caput XXXI.*

**M**ensuram autem temporis in agenda pœnitentia, *Ex dictis Hierony.*  
Midcirco non satis aperte præfigunt canones pro uno  
quoque crimine, ut de singulis dicant, qualiter vnum-  
quodque emendandum sit, sed magis in arbitrio antisti-  
tis intelligentis relinquendum statuunt: quia apud Deum  
non tam valet mensura temporis quam doloris, nec absti-  
nentia tantum ciborum quam mortificatio vitiorum. Pro-  
pter quod tempora pœnitentiae, fide & conuersatione pœ-  
nitentū, abbrevianda præcipiūt, & negligentia protelanda  
existimant: tamen pro quibusdam culpis, modi pœnitentiae  
sunt impositi, iuxta quos cæteræ perpendendæ sunt cul-